

B) SZÖVEG.

SIMONIS DE KEZA CHRONICON HUNGARICUM ELEGANS  
OPUSCULUM.

Descriptum ex M. S. super membrana, quod exstat in bibliotheca  
Palatini Ung. Kismartonii 1701. 26. May. (In MSS. G. Hevenesi.)

Invictissimo et potentissimo domino Ladislao tertio gloriosissimo regi Hungarorum, magister Simon de Keza, fidelis clericus eius. Ad illum aspirare, cuius pulchritudinem mirantur Sol et Luna.<sup>1</sup> Cum nostro<sup>2</sup> cordi affectuose adiaceret Hungarorum gesta cognoscere, et id etiam veraciter constisset, nationis eiusdem victorias, quæ diversis sparsa bellis<sup>3</sup> per Italiam, Franciam ac Germaniam sparse sunt et diffuse, in volumen unum redigere procuravi, non imitatus Orosium, qui favore Ottonis cesaris, cui Hungari in diversis suis preliis confusiones plures intulerant, multa in libellis suis apochrifis confingens, ex Demonibus incubis Hungaros asseruit generatos.<sup>4</sup> Scripsit enim quod Filimer, magni Aldarici regis Gothorum filius, dum fines Scythie armis impeteret, mulieres, que generatio Baltucme<sup>5</sup> nominantur, plures secum in exercitu suo dicitur deduxisse. Que dum essent militibus infestissime, retrahentes plurimos per blandities a negotio militari, consilium

<sup>1</sup> Ez nem László szépségére vonatkozik, hanem, mint már Szabó Károly is észre vette, Isten dicsőítése. Hasonló felszólítást intéznek Freisingi Ottó és Viterbói Gottfrid fejedelmekhez intézett ajánlásaik elejére.

<sup>2</sup> *Vestro* helyett.

<sup>3</sup> Scartabellis helyett. A 3374. c. így is írja.

<sup>4</sup> Paulus Orosius az v. század elején írta: *Adversus paganos historiarum libri septem* című művét (Ed. Thorn. 1857). Nagy Ottó

936—973. uralkodott! Külömben Orosius munkájában szó sincs a hunnok eredetéről. A varázsló nőkről szóló mondat először a vi. század közepén író Jordanesnél találjuk, kitől aztán átvették a középkori krónikások. Kézai valószínűleg Viterbói Gottfrid művét használta.

<sup>5</sup> Haliorumnæ-nek nevezi Jordanes, ki különben az illető 24. fejezetben hivatkozik Orosiusra.

regis ipsas fertur de consortio exercitus eapropter expulisse. Que quidem peragrantes per deserta, litora paludis Meotidis tandem descenderunt. Ibique diutius dum mansissent, private solatio maritali, incubi Demones ad ipsas venientes, concubuisse cum ipsis, iuxta dictum Orosium, referuntur. Ex qua quidem coniunctione dixit Hungaros oriundos. Sed ut eius assertio palam fiat falsissima, porro per textum comprobatur evangelicum, quod spiritus carnem et ossa non habent, et quod est de carne, caro est, quod autem de spiritu, spiritus est.<sup>1</sup> Contrarium quoque naturis rerum dixisse iudicatur et penitus adversatur veritati, ut spiritus generare possint, quibus non sunt concessa naturalia instrumenta, que virtutem ac officium dare possint generandi, valentes perficere veram formam embrionis. Quocirca patet, sicut mundi nationes alias, de viro et femina Hungaros originem assumpsisse. In eo etiam idem satis est transgressus veritatem, ubi solos sinistros preliorum eventus videtur meminisse ipsorum Hungarorum, felices preteriisse silentio perhibetur, quod odii manifesti materiam portendit (*sic*) evidenter. Volens itaque veritatem imitari, sic improsperos ut felices interseram, scripturus quoque ortum prefate nationis, ubi et habitaverint, quot etiam regna occupaverint, et quoties immutaverint sua loca. Illius tamen adiutorio et gratia ministrante, qui rerum omnium, que sub lunari circulo esse habent, et ultra, vita quoque fruuntur creatione habita, est Deus opifex, Creator idem et Redemptor, cui sit honor et gloria in secula sempiterna.

*Explicit prologus, incipiunt Hungarorum gesta.*

Multifarie multisque modis olim<sup>2</sup> in veteri testamento et nunc sub etate sexta seculi<sup>3</sup> diversas historias diversi descripserunt, prout Josephus, Isidorus, Orosius et Gotfridus, alique quamplures, quorum nomina exprimere non est opus.<sup>4</sup> Porro cum per cladem diluvii preter Noe et tres filios eius deleta esset omnis caro, tandem ex Sem, Japhet et Kam 72 tribus

<sup>1</sup> Lukács ev. 24. 39.

<sup>2</sup> Itt pár szónyi hézag van.

<sup>3</sup> A krónikások Sz. Ágoston példáját követve, hat világkorszakot különböztettek meg. Isidorus és Beda voltak ebben is a mintaképek. A hatodik és utolsó korszak Krisztus születésével kezdődik.

<sup>4</sup> Josephus Flavius a zsidó régiségek írója (Kr. u. 70.), Isidorus sevillai püspök, kinek etymológiái és krónikája nagyon el voltak terjedve († 636.), viterbói Gottfrid egy szintén nagyon elterjedt világkrónika (Pantheon írója), melyet VI. Henriknek, Barbarossa Fridrik fiának ajánlott. († 1191.)

post diluuium sunt progresse. De Sem 25, ex Kam 37, a Jafeth vero 10 et 7. Dum autem tribus iste, sicut refert Josephus, lingua hebraica uterentur, deinde primo anno post diluuium Nemroth gigans, filius Thana ex semine Jafeth oriundus, turrem construere cepit cum omni cognatione sua, attendentes periculum preteritum, ut si contingeret diluuium iterari, possint evitare ultionis iudicium, turris interfugio. Divini vero misterii arbitrata sententia, cui non sufficit resistere humanus intellectus, sic illorum mutavit loquelam ac confudit, ut dum proximus a proximo non possit intelligi, tandem in diversas sunt dispersi regiones.<sup>1</sup> Sita etenim erat inter Nubiam et Egiptum. Cuius antiqualia cernuntur usque hodie euntibus de Memphis Alexandriam.<sup>2</sup>

Dimissis ergo incidentiis, que cepte materie dant colorem, redeundum est ad Nemroth. Qui gigans post linguarum inceptam confusionem terram Evilath introiuit, que regio Persidis isto tempore appellatur et ibi duos filios, Hunor scilicet et Mogor ex Eneth sua coniuge generavit, ex quibus Huni seu Hungari sunt exorti. Sed quia gigans Menroth uxores alias sine Eneth perhibetur habuisse, ex quibus absque Hunor et Mogor plures filios et filias generavit. Hi sui filii et eorum posteritas Persidem inhabitant regionem, statura et colore Hunnis similes, tantummodo parum differunt in loquela, sicut Saxones et Turingi.<sup>3</sup> Cum autem Hunor et Mogor essent primogeniti, a patre ipsorum tabernaclis separatis incedebant.

Accidit autem dierum una venandi causa ipsos perrexisse; quibus in deserto cum cervam occurrisset, in paludes Meotidas illam insequentes, fugiit ante eos. Cumque ibi ab oculis eorum prorsus vanuisset, diutius requisitam invenire nullo modo potuerunt. Peragratis tandem paludibus memoratis pro armentis nutriendis ipsam conspexerant oportunam. Ad patrem deinde redeuntes ab ipso licentia impetrata, cum rebus omnibus paludes Meotidas intraverunt moraturi.

<sup>1</sup> Következik a babyloni torony leírása.

<sup>2</sup> A XIII. században, midőn a keresztesek gyakran jutottak el Egyiptomba, Kairót nézték Babylonnak és a nagy gúlát Babel tornyának.

<sup>3</sup> Ez a hely valószínűvé teszi, hogy a hunnok történetének első redactióját német ember írta.

Regio quidem Meotida Persidis patrie est vicina, quam undique pontus preter unum vadum parvissimum giro vallat, fluminibus penitus carens, herbis, lignis, volatilibus, piscibus et bestiis copiatur. Aditus illuc difficilis et exitus. Paludes autem Meotidas adeuntes annos quinque immobiliter ibidem permanserunt. Anno ergo sexto exeuntes in deserto loco, sine maribus in tabernaculis permanentes, uxores ac pueros filiorum Belar casu reperiunt, quos cum rebus eorum in paludes Meotidas cursu celeri deduxerunt. Accidit autem principis Dule Alanorum duas filias inter illos pueros comprehendendi, quarum unam Hunor et aliam Mogor suam sumpsit in uxorem. Ex quibus mulieribus omnes Hunni originem assumpsere. Factum est autem, cum diutius in ipsis paludibus permansissent, in gentem validissimum succrescere inceperunt, nec capere ipsos potuit ipsa regio, et nutrire. Exploratoribus ergo in Scithiam abinde destinatis, Scithie regno explorato, cum pueris et armentis ipsam patriam intravere permansuri. Regnum itaque ipsum dum adissent, Alpzyros et Prutenos in eo invenerunt habitantes, quibus deletis et expulsis usque hodie illud regnum pacifice dinoscuntur possidere. Scithica enim regio in Europa situm habet, extenditur enim versus orientem, ab uno vero latere ponto aquilonali, ab alio montibus Rifeis includitur, a zona torrida distans.<sup>1</sup> De oriente quidem Asie iungitur. Oriuntur etiam in eodem duo magna flumina, uni nomen Etul et alterius Togora. Gentes siquidem in eo regno procreate otia amplectuntur, vanitatibus dedite, nature dedignantis, actibus venereis intendentes, rapinas cupiunt; generaliter plus nigre colore quam albe. Scithico quoque regno de oriente iungitur regnum Iorianorum et post hec Tarsia et tandem Mangalia, ubi Europa terminatur. Ex plaga vero estivali subsolana gens iacet Corosmina,<sup>2</sup> Ethiopia etiam, que India minor dicitur, ac post hec inter meridiem et cursum Don fluvii desertum existit immeabile. Fluvius siquidem Don in Scythia oritur, qui ab Hungaris Etul nominatur, sed ut montes Rifeos transit diffluendo, Don est appellatus. Qui tandem in planum effluens currit terram Alanorum, postea vero cadit in rotundum mare ternis ramusculis. Togora autem fluvius discurrit de Scithia exeundo per desertas silvas, paludes, ac montes

<sup>1</sup> Scythia leírását Paulus Diaconusból vették át a krónikások.

<sup>2</sup> Corosmina=Chovarezm, a mai Khiva.

niveos, ubi nunquam sol lucet propter nebulas, tandem intrat in Yrcania vergens in mare aquilonis.<sup>1</sup>

Longitudo siquidem Scithice regionis stadiis trecentis et sexaginta extendi perhibetur, latitudo vero centum viginti. Situm enim naturalem habet tam munitum, ut in solo locello parvissimo ibi aditus reperitur. Propter quod nec Romani cesares, nec Magnus Alexander, quamvis attentassent, potuerint in eam introire. Scithia enim solo leta est, nemoribus, silvis herbis venustata et bestiis diversi generis mirabiliter dives ac referta. Habet etiam de occidente vicinos Bessos et Comanos albos.<sup>2</sup> Sed circa mare Aquilonis, quod eidem vicinatur, usque regnum Susdalie<sup>3</sup> est desertum silve, humano generi immeabile, quod ad magnum spatium extendi perhibetur, ubi nubium densitas per novem menses iacet, ibi nec sol cernitur, nisi<sup>4</sup> tantummodo in Junio, Julio et Augusto, et id in tanta diei hora, quantum a sexta est usque nonam.<sup>5</sup> In montibus etenim deserti cristallus invenitur, et grifo nidum parat, avesque Jegerfalk,<sup>6</sup> que hungarice Kerechet appellantur, procreare pullos dinoscuntur. Scithicum enim regnum comprehensione una cingitur, sed in regna tria dividitur principando, scilicet in Barsatiam, Denciam et Mogoriam.<sup>7</sup> Habent etiam provincias centum et octo propter centum et octo progenies, que dudum per filios Hunor et Mogor, quando in Scithiam invaserunt, sunt divise. Centum enim et octo generationes pura tenet Hungaria et non plures, alie autem, si que ipsis sunt coniuncte, advene sunt, ultra ex captivis oriundi. Quoniam ex Hunor et Mogor in palude Meotida centum et octo progenies absque omni missitalia fuere generate. Quorum ergo advenarum generatio in fine huius libri apponetur seriatim.

Igitur in etate sexta seculi multiplicati Huni in Scithia habitando, sicut arena, anno Dei septingentesimo<sup>8</sup> in unum congregati, capitaneos inter se

<sup>1</sup> E leírás szerint a Togora a Pecsora lenne. Csakhogy Yrcania meg a Kaspi-tó mellé esett.

<sup>2</sup> Besenyők és fejr (keleti) kúnok.

<sup>3</sup> Susdal, a XII. század közepétől fogva a keleti orosz nagyfejedelemség széke.

<sup>4</sup> A kéziratban *nec*.

<sup>5</sup> A poláris évszakok e különben hibás leírásának Solinus római földrajza az alapja.

<sup>6</sup> A kéziratban *Legerfalc*.

<sup>7</sup> Kuun Géza: *Relationum Hung. cum oriente* I. k. 62. 136. stb. nagy gondot fordít e három név megmagyarázására.

<sup>8</sup> Világosan téves. A hunnok első betörése 375-ben történt.

seu duces vel principes prefecerunt, quorum unus Vela fuit Ihelefile filius ex genere Zemein oriundus. Cuius fratres Cuve et Caducha ambo capitanei. Quarti vero ducis nomen Ethela fuit, Bendacuz filius, cuius fratres Reuva et Buda uterque duces existere, de genere Erd oriundi, ut simul uno corde occidentales occuparent regiones. Constituerunt quoque inter se rectorem unum, nomine Kadar, de genere Turda oriundum, qui communem exercitum iudicaret, dissidentium lites sopiret, castigaret malefactores, fures et latrones. Ita quidem, ut si rector idem immoderatam sententiam definiret, communitas in irritum revocaret, errantem capitaneum et rectorem deponeret quando vellet. Consuetudo etenim ista legitima inter Hunos sive Hungaros usque ad tempora ducis Geyche filii Tocsun inviolabiliter extitit observata. Antequam ergo baptisati fuissent Hungari et effecti christiani sub tali voce precones in castris ad exercitum Hungaros adunabant: Vox Dei et populi hungarici, quod die tali unusquisque armatus in tali loco precise debeat comparere, communitatis consilium, preceptumque auditurus. Quicumque ergo edictum contempsisset, pretendere non valens rationem, lex Scithica per medium cultro huiusmodi detruncabat, vel exponi in desperatas causas, aut detru di in communium servitutem. Vitia itaque et excessus huiusmodi unum hungarum ab alio separavit (*sic*), alias, cum unus pater et una mater omnes hungaros procreaverit, quomodo unus nobilis, alter innobilis diceretur, nec<sup>1</sup> victus per tales casus criminis haberetur. Tunc de tribubus 108 elegerunt viros fortes ad bellandum, assumentes de quolibet genere decem millia armatorum, aliis in Scithia derelictis, qui eorum regnum ab hostibus custodirent. Elevatisque baneriis egredientes Bessorum et Comanorum alborum terras transierunt. Deinde Susdaliam, Rutheniam et nigrorum Comanorum terras ingressi tandem usque Tize flumen salvis rebus, invitis gentibus prefatis pervenerunt. Qua quidem regione circumspecta omni cetui complacuit, non incedere ulterius cum armentis et familia. Cum uxoribus etenim, tabernaculis et bigis descenderant de eorum terra.

Cumque eo tempore Pannoniam, Panfiliam, Frigiam, Macedoniam, Dalmatiamque, Tetrarcha, Macrinus, natione Longobardus, urbe Sabaria oriundus gubernaret, armis bellicis informatus, audito, quod Huni supra

<sup>1</sup> *nisi helyett.*

Tizam resedissent, et de die in diem lacerarent regnum eius, cum alumnis regni sui ipsos aggredi reformidans, ad Romanos suos nuncios destinavit, contra Hunnos petiturus gentem et auxilium commodari. Ex parte etenim Romanorum in predictis patriis imperabat. Tunc Romani Ditricum Veronensem Alamanum natione illo in tempore regem super se prefecerant voluntarie, quem petentes, ut Macrino subsidium importaret, Ditrico ergo animo constanti annuente, egressus cum exercitu italico, germanico ac ceteris mixtis gentibus occidentis pervenit in Zazholm, ubi ipsi Longobardi convenerant ad Potentialiam civitatem, pertractan(te)s cum Macrino consilium, utrum Hunos in eorum descensu Danubium transeundo, vel in alio loco congruenti invadere oporteret.

In istis itaque tractatibus Ditrico Macrinoque residentibus noctis silentio super utres Huni Danubium in Sicambria transierunt, exercitum Macrini et Detrici, quem capere potentia (*sic*) non potuit, in tentoriis campis commorantem, crudeliter trucidarunt. Pro qua enim invasione Ditricus acerbatus, in campum Tavarnucveg exivit, cum Hunis committens prelium, cum suorum ac Macrini maximo interitu ac periculo, fertur tamen Hunos in hoc loco potenter devicisse. Hunorum autem residuum in sua est reversum, arrepta fuga, tabernacula. In eo enim prelio ex Hunis virorum 125 millia corruerunt, Cuve etiam capitaneo ibidem interfecto. De militia vero Ditrici et Macrini exceptis illis, qui in suis tentoriis ante urbem memoratam fuerant trucidati, 210 millia perierunt. Videns ergo Ditricus tantam cedem suorum accidisse, die altera post congressum prelii perrexit versus Tulnam civitatem cum Macrino. Tunc Huni intellecto, quod Macrinus et Ditricus de loco certaminis removissent sua castra, reversi ad locum certaminis sociorum cadavera, que poterant invenire, Cuvemque capitaneum prope stratam, ubi statua est erecta lapidea, more Scithico solemniter terre commendarunt, partesque illius territorii Cuveazoa post hec vocaverunt. Cognita itaque armorum et animi occidentis nationis qualitate et quantitate, Huni animum resumendo, exercitu resarcito adversus Ditricum et Macrinum versus Tulnam pugnaturi porrexerunt. Quorum adventum Ditricus ut cognovit, in Cezunmaur eis convenit et a mane usque nonam prelium est commissum, tam vehemens ac hostile, ut Vela, Reva et Caducha Hunnorum illustres capitanei cum aliis 40 millibus in ipso certamine interirent.

Quorum etiam cadavera ab inde removentes apud statuam memoratam cum ceteris sociis subterrarunt. Occubuit quoque Macrinus ex Romano exercitu ipso die et quamplures principes Germanorum, Ditrico per iaculum in fronte lethali-ter vulnerato et quasi toto exercitu occidentis interempto et fugato. Postquam vero exercitus se dispersit, Romano more Huni super se Ethelam regem preficiunt, ipseque Budam fratrem suum de flumine Tiza usque Don super diversas exterarum nationes principem constituit ac rectorem, ipse autem se ipsum Hunorum regem, metum orbis, flagellum Dei a subiectis fecit appellari. (*Következék Etele jellemzése.*)

Expeditio autem eius preter exterarum nationes decies centenis armatorum millibus replebatur, ita quidem, ut si unum Scithicum decedere contigisset, alter pro ipso confestim ponebatur. Sed arma gentis eius ex corio maxime et etiam metallis variis diversimode fuerant laborata, ferens arcus, cultros et lanceas. Bannerium quoque regis Ethelæ, quod in proprio scuto gestare consueverat, similitudinem avis habebat, que hungarice turul dicitur in capite cum corona. Illud enim banerium Huni usque tempora ducis Geiche, dum se regerent pro communi, in exercitu semper secum gestavere.

Istud est enim prelium, quod Huni prelium Crumhelt usque adhuc nominantes vocaverunt. In quo quidem prelio tantus sanguis Germanicus est effusus, quod si Teutonici ob dedecus non celarent, et vellent pure referre, per plures dies aqua bibi in Danubio non poterat, nec per homines, nec per pecus, quoniam de Sicambria usque urbem Potentie sanguine inundavit. Fugit ergo Chaba cum 15 millibus Hunorum in Greciam ad Honorium, et quamvis retinere voluisset et Grecie incolam efficere, non permansit, rediens in Scithiam ad patres, nationem et cognatos. Qui dum Scithiam introisset, mox incepit suadere, quod penitus redirent in Pannoniam, ultionem de Germanicis accepturi. Remanserant quoque de Hunis virorum tria millia ex prelio Crimildino erepti pro fuge interfugium, qui timentes occidentis nationes, in campo Chigle usque Arpad permanserunt, qui se ibi non Hunos, sed Zaculos vocaverunt. Isti enim Zaculi Hunorum sunt residui, qui dum Hungaros in Pannoniam iterato cognoverunt remeasse, redeuntibus in Ruthenie finibus occurrerunt, insimulque Pannonia conquesta, partem in ea sunt adepti, non tamen in plano Pannonie, sed cum Blackis in montibus confinii sortem habuerunt. Unde Blackis commixti



literis eorum uti perhibentur. Isti quidem Zaculi in Grecia Chabam perivisse putaverunt. Unde vulgus adhuc loquitur in communi: Tunc redire debeas, dicunt recedenti, quando Chaba de Grecia revertetur.

Iste ergo Chaba filius Ethele est legitimus ex filia Honorii imperatoris Grecorum genitus, cui Edemen et Ed filii sui sunt vocati. Edemen autem, cum Hungari in Pannoniam secundario sunt reversi, cum maxima familia patris et matris introivit. Nam mater eius de Corosminis orta erat. Eed vero in Scithia remansit apud patrem. Ex isto enim Chaba generatio Aba est egressa. Cum ergo Chaba adiens in Scithiam nobilitate genitricis in communi se iactaret, Hunorum nobilitas ipsum contemnebat, asserentes eum non esse verum alumnum regni Scithie, sed quasi missitalium extere nationis. Propter quod uxorem in Scithia non accepit, sed traduxit de gente Corosmina.

Postquam autem filii Ethele in prelio Crumbelt cum gente Scithica fere quasi deperiissent, Pannonia extitit 10 annis sine rege, Sclavis tantummodo, Grecis, Teutonicis, Messianis et Ulahis advenis remanentibus in eadem, qui vivente Ethela populari servitio sibi serviebant. Surrexit tandem Zuatapolug filius Morot princeps quidam in Polonia, qui Bracta subiugando, Bulgaris Messianisque imperabat, incipiens similiter in Pannonia post Hunorum exterminium dominari. Hunc quidem Hungari de fluvio Hung, variis muneribus allectum, et nunciis explorantes, considerata militia eius immunita, ipsum Zuatapolug irruptione subita prope fluvium Racus iuxta Banhida, in quodam oppido, cuius interrupta adhuc eminent, cum tota militia peremerunt. Et sic Pannonie populis, qui superius sunt notati, inceperunt dominari. Tradunt quidam, quod Hungari Morot non Zuataplug in secundo eorum reditu in Pannonia reperissent principantem, hoc idcirco esse habet, quia Morot pater eius nomine maior erat, sed confectus senio repausabat in castro, quod Bezprem nominatur, audito infortunio, quod filio acciderat, morte subita obfinivit vitam suam, filius vero in dominando novus erat.

EXPLICIT LIBER PRIMUS DE PRIMO INTROITU, INCIPIT SECUNDUS DE REDITU.

Digestis ergo Hunorum natalibus, preliis felicibus et sinistris, quotiesque sua loca immutaverint, nunc videndum est, quo tempore redierint in Pannoniam iterato, qui fuerint redeuntium capitanei, quantusque numerus armorum, presenti opusculo apponere dignum duxi.

Imperante ergo Ottone Suevo in Germania et Italia, in Francia Lodovico rege Lotarii filio, et Greciam Antonio Duro filio Theodori gubernante, trecentesimo<sup>†</sup> septuagesimo anno ab incarnatione Jesu Christi Huni sive Hungari denuo ingressi in Pannoniam, transierunt per regna Bessorum, alborum Comanorum et civitatem Kyo, et deinde in fluvio Hung vocato, ubi castrum fundavere, resederunt. A quo quidem fluvio Hungari a gentibus occidentis sunt vocati. Cumque et alia sex castra post hec fundavissent, aliquamdiu in illis partibus permanserunt. Tandemque Zuataplug interempto, quemadmodum superius est narratum, in 7 exercitus sunt divisi, ita quidem, ut unus exercitus sine centurionibus decurionibusque unum haberet capitaneum, cui tamquam duci deberent unanimiter intendere ac parere. Habebat enim unus exercitus 30 millia virorum armorum, exceptis decurionibus et prefectis. Egressi ergo vexillis erectis, cum uxoribus liberis et armentis Danubium in Pest et in portu Zub transierunt, ubi castrum quoddam circa Danubium, in quo erant milites Zuataplug recollecti, qui fuere erepti per fugam, quando dominus ipsorum interierat, expugnarunt, in quo quidem affinem Morot nimis vetulum cum aliis perimentes, usque hodie fabulose Morot ipsum fuisse asseverant.

Ex istis ergo capitaneis Arpad filius Almi, filii Elad, filii Uger de genere Turul, rebus ditior erat et potentior gente. Hic ergo Arpad cum gente sua Ruthenorum Alpes prior perforavit et in fluvio Ung primus fixit sua castra, eo quod sua prosapia ista pre ceteris Scithie tribubus prerogativa investitur dignitate, ut exercitum precedit in eundo, retrograditur redeuntem. Et cum transmeato Danubio Pannoniam introissent, ipse Arpad

<sup>†</sup> Ki van törülve és helyébe írva: *octingentesimo*.

in loco illo fixit tabernacula, ubi modo Albensis civitas est fundata. Illeque locus primus descensus existit Arpad ducis.

Alterius vero exercitus capitaneus Zobole vocabatur, qui in eo loco fixit sua castra, ubi modo Chakvara iacet desolata. Ab isto Zobole generatio Chak esse habet.

Tertii quidem exercitus Jula fuit capitaneus, hic iacet<sup>1</sup> cum aliis Pannoniam introisset, in partibus Erdevelu tandem habitavit.

Sed quarti capitaneus Urs est nominatus, iste circa flumen Soio sua tabernacula fixisse perhibetur.

Quinti vero exercitus Cund<sup>2</sup> est dictus capitaneus, hic circa Nyr habitavit, huius filii Eusid et Cupian sunt vocati.

Lel ergo exercitus sexti ductor fuerat, iste circa Golgotha primitus habitans, exinde Messianis, item Boemis extirpatis, tandem in partibus Nitrie sepius fertur habitasse. Ex isto Zuard oritur tribus et cognatio.

Septimi siquidem exercitus Verbulchu dux est dictus, hic in Zala circa locum Bolotim descendisse perhibetur. Pro eo enim Verbulchu est vocatus, quia cum avus eius in prelio Crimildino per Teutonicos fuisset interfectus et id ei pro certo constitisset, volens recipere vindictam super eos, plures Germanos assari fecit super veru, et tanta crudelitate dicitur in eos exarsisse, quod quorundam quoque sanguinem bibit sicut vinum.

Isti quidem capitanei loca descensusque, ut superius est dictum sibi elegerunt, similiter et generationes alie, ubi eis placuit eligentes.

<sup>1</sup> Igy a kéziratban *licet* helyett, Endlicher kihagyja.

<sup>2</sup> Kijavítva *Eund*-ból.